





*Diff. 51*  
*32*  
*32*

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA;  
DE  
**STRANGULA-**  
**TIONE**  
à VAPORIBUS EXTERNIS,

*Quam*  
AUTORITATE & DECRETO AMPLISSIMÆ FACUL-  
TATIS MEDICÆ  
IN CELEBERRIMA & PERANTIQUA ELECTORALI UNIVER-  
SITATE GERANA,

*Sub PRÆSIDIO*  
**DN. GEORGII CHRI-  
STOPHORI PETRI**

ab Martenselß /

Med. D. Sacri Palatii Cæs. Comitis, Archiatri Elec-  
toralis Moguntini, Consulis & Physici Erfurtensis,  
Fac. Med. Senioris, P.P. P.L.C. &c.

PATRONI ac PROMOTORIS Studiorum suorum maxime  
devenerandi,

Solenni Sapientum disquisitioni submittit.

LICENTIAM,

Insignia, Privilegia & Honores Summos in Arte Medica,,  
Majorum ritu assumendi impetraturus

**GODOFREDUS SCHULTZIUS**, Altenb. Misn.

IN AULA COLLEGII MAJORIS,

D. 4. Dec. (24. Nov.) Anno post Virginis partum 1693.  
Horis consuetis.

Ex Officina Joh. HEINR. GROSCHII, Typographi Academicci.



DEO,  
PRINCIPI,  
PATRIÆ,

*HANC INAUGURALEM DISPUTATIONEM*

*ca, qua par est,*

*M A T I*

*submissione*

*D. D. D.*

**GODOFREDUS SCHULTZIUS,**  
*Altenburgensis Misnicus,*  
*Medicinae Ddus.*



Aëris plena sunt omnia, ejusq; plenum  
est corpus humanum. Est enim aër ho-  
mini maxime necessarius præ cæteris  
rebus non-naturalibus. Absq; cibo &  
potu aliquot dies sine vita detimento, quamvis non  
absq; debilitate virium vivere possumus. Ita histo-  
riæ multorum prostant, qui non tantum permultos  
dies & menses, sed & annos sine cibo superstites fue-  
runt, id quod hinc inde apud Autores videre est :  
quin imò fames morbos à repletione oriundos sanat,  
quam ob rem quiete & abstinentia multos magnos  
morbos curari ex Hippocr. & Celso notum est : sic  
& reliquæ, licet non semper earum usus exactissime  
observetur, non statim ejusmodi jacturam & noxam  
inferunt, ut inde vita periclitetur. Sed quid de aëre  
sentiendum? estne idem de eô dicendum, quod de ci-  
bo & potu, quod de somno & vigiliis &c.? minimè.  
Nam ne momento fere homo sospes manere potest,

A 2

si a-

Si aëre destituatur. Hinc etiam varii dantur modi, quibus corpus humanum pro varia aëris constitutione, qualitate, motu, &c. vita periculis exponitur. Aërem nimis subtilem respirationi & motui vitali non sufficere, apud omnes in confessu est: experimenta Boylei illud extra controversiæ aleam posuerunt: Nam animalia in antlia pneumatica Gerikenii & hinc Boylei inclusa aëre exhausto protinus spasmis tentata exspirant. In excelsioribus montium cacuminibus non commodè spiratur: sic in montibus Peruvianis ob aëris aetheream fere subtilitatem homines transeuntes spongias & repletas naribus admoveare respirationis causa coguntur, id quod suo exemplo declarat Josephus Acosta. Quomodo verò aër in illis altissimis montium fastigiis ita attenuetur, ut partibus ad vitam sustentandam dicatis prorsus impar evadat, investigatione dignum est: an in humoris aërei defectum id rejiciendum, aut effluviis è montium jugis & lateribus emanantibus attribuendum, an verò atmosphæræ pondus in montium verticibus non procul infra limites ejus positis tantillum sit, ut auræ in vasa pulmonaria adigendæ non sufficiat, aliis discutiendum relinquo. Sed ut alia mala, quæ respirationem impedire possunt, silentio preteream, & converto me bac vice ad aëris crassitatem,

tiem, induitum & consensu Amplissimae Facultatis Medicæ loco DISPUTATIONIS INAUGURALIS eam publicæ ventilationi committens, pro ingenii viribus inquisiturus, quomodo morbos, prostrationem virium & nonnunquam repentinam mortem inferre, & quo pacto evitari, corporis vero vires labefactatae ac penè oppressæ iterum restaurari queant. DEUM vero Optimum Maximum supplicibus veneramur precibus, velit his conatibus nostris cælitus adspirare, quo omnia in immortalem divini nominis gloriam, Patriæ dilectissimæ emolumentum & multorum ægrotantium levamen cedant. Sit itaq;

Thesis I.

Vocabulorum evolutionem lubenter prætermittimus, quæ res vel ipsis Grammaticis tædiosa est, & potius nos convertimus ad illud, quod præcipue ad Medicos spectat, scilicet morborum causas explicare & ægris auxilium afferre. Incipimus autem ab eo, quod affectus naturam proprius attingit, nempe definitione, quæ talis esse potest:

Th. 2. Strangulatio seu Suffocatio à vaporibus externis est interceptio respirationis, ab inhibita pulmonum expansione dependens. Germ. das Ersticken/ Erwürgen.

Th. 3. Alii quidem aliter sentiunt de hac suffocatione, quod nempe tales ægri potius apoplexia corripiantur & præcipue cerebrum & animales hic affici putant, v. Marcell. Donat. de H. M. L. 2. c. 6. sed rectius cum aliis respirationis interceptioni & motui pulmonum inhibito

A 3

hunc

hunc affectum attribuimus, nam aëris densus suffocat & obstruit, ut bene monet *Magnif. D. D. Wedelius, Patronus ac Praeceptor meus etatem devenerandus in Pathol. dogm.* p. 297. Debet enim perpetua fieri ventilatio humidi, quod si non fiat, sed potius perigrina miasmata obstruentia inferantur, necessum est, Archeum nostrum fatiscere. Nullus etiam aëris ad cerebrum abit, sed omnis ingreditur in pulmones, etiam is, qui per nares attrahitur, exigua tamen, quin imò minima & subtilissima parte aliorum delata, hinc à vaporibus crassis pulmo facile præcluditur, & intercipitur respiratio. Imo talium vaporum odor est aduersus homini, qui quando sentitur, repellitur quasi sanguis à corde & sistitur, & pulsus inhibetur. Tales suffocati si tandem refocillentur, vomituriunt, tussi ac dolore pectoris vexantur, febre sàpè corripiuntur, teste *Marc. Donat. ap. Conr. Vict. Schneid. L. 2. S. 2. c. 1. p. 248.*

Th. 4. Pertinet ad symptomata actionis laesa; meatus enim & viæ, licet sint salvæ, attamen quia motor seu impulsus ad motum maximè necessarius deficit, etiam motum sufflaminari & inhiberi necesse est. Nonnulli ad morbos organicos hunc affectum referunt, suis rationibus non destituti.

Th. 5. *Sedes principalis* hujus mali sunt pulmones, cum reliquis organis respirationi dicatis: nam respiratione non fieri potest, immotis pulmonibus; hi siquidem sunt primum immediatum & proximum respirationis organum, & in pulmonibus causa hæret, quæ cursum ac recursum aëris impedit: reliquæ vero partes concurrentes canalarum intrinsecarum administrantium titulo magis gaudent. Aëris enim tetrifumis & vaporibus fœtus ineptus est calori cordis ventilando. *Sedes secundaria* & adæqua-

adæquata est cor & cerebrum cum spiritibus vitalibus & animalibus.

Th. 6. *Causa proxima seu immediata est prohibita pulmonum expansio.* Controversia est inter Autores, an pulmo motu proprio moveatur, an vero alterius motum sequatur? Averrhoës olim docuit: pulmones motu proprio moveri, non autem motum thoracis sequi, quia motus violentus tunc daretur perpetuus: *Est autem mirabilis, inquit, thoracis & pulmonum consensus, quam ob rem alterum sine altero moveri non posse concedit: neutrum tamen alteri principium & causam actionis tribuere voluit.* Cujus sententiae subscribunt Sennertus & Job. Dan. Horst. in manud. ad med. Alii vero dicunt, quod pulmones principium motus habeant a corde, v. g. Aristot. L. 3. de part. animal. cuius sententiam Hoffmannus in Comment. in Galen. de U. P. l. 6. c. 10. explicat, & sentit, quia pulmones non haberent musculos aut fibras, ideo motu voluntario eos minus moveri: Alii putant, motum pulmonum a motu thoracis pendere, nec proprio motu illos pollere, quia nec villos nec fibras habent: sed dilatato thorace, ne detur vacuum, extendi pulmones, & rursus, ne in istis detur vacuum, aërem irruere. Est itaque modus respirationis explicatu tam difficilis, ut fere in nulla re minus Autores convenient. Omnes tamen certo persuasi sunt, pulmones esse præcipuum ejus organum, quod etiam verum est, sunt enim indubitatum aëris receptaculum. Controversiae cardo in eo vertitur, quod Antiqui arbitrati sint, repleri pulmones, quia dilatantur: Recentiores vero statuunt, illos dilatari, quia replentur, quæ sane sunt diversissima. Illi enim ob fugam vacui aërem crumpere; hi istum in pulmones quasi cogi & ingredi vi-

ma



externa impulsu m afferunt , scilicet vi pressionis atmosphæræ. Ex quibus qui verum afferant , inquisitione dignum est.

Th. 7. Approbo autem magis atque amplectior sententiam *Magnif. D.D. Schelhammeri, Anat. Chir. & Bot. P.P. Jen. Patroni ac Preceptoris mei perpetim venerandi*, quam in Collegio Physiol. Pathol. nobis communicavit, inquiens : Pater pulmones nullo gaudere instrumento , quo expanduntur , adeoque non follis instar inflari , quo tamen simili Recentiores perpetuo utuntur , cum follis externo quodam instrumento ducatur , sed contra fieri , ut in vesica videmus , quæ a uero impulso distendit . Quo posito frustra est dicere , impleri quia dilatantur : restat igitur dilatari ab aëre irrum pente . Fit autem impedimento remoto , quo compressus pulmo jacet : Itaque credibile est , pulmones in vivis animalibus totum pectus perpetuo implere ; nec unquam concidere : ubi verò pectus assurgit , eodem momento cedentes facile pulmones inveniens aër irruit , nec egreditur nisi pectore subsidente , qui duo motus contrarii inspiratio & exspiratio vocantur . Accusamus hinc jure meritoque in hoc affectu expansionem pulmonum prohibitam , & consequenter respirationis interceptionem , sine qua vel huic analogo quodam nullum animal sanguine gaudens vivere experientia constat ; ita , ut etiam insecta respirent : quidnam verò talem expansionem prohibeat , disquirendum est porro .

Th. 8. Mediatæ proximioris cause vicem gerit de negatus aëris tenuioris clariorisque influxus : hujus enim præsentia ad vitam prorogandam maxime necessaria est : in quem finem autem id accidat , adhuc inter Autores lis est .

est. Attamen usus præcipius est sanguinis ventilatio, & fuliginum seu vaporum excrementitiorum exclusio, quæ sit accessione aëris tenuioris & receptione vaporum incorpore exhalantium, eorumque emissione per exspirationem. Idem etiam fieri in piscibus aliisque aquatilibus credibile est, quibus aër quoque necessarius est: fluido enim hic admixtus est, in quo vivunt; nam cur hyems sub glacie moriendum ipsis est, si non hac de causa. Nullus diu durat, nisi ventiletur, imò ne quidem sine aëre fieri potest: nullus in liquore alitur calor, qui non continuo aliquid in vapores resolvat. Calidum nostrum innatum perpetuo in sanguine per totam vitam quasdam exhalationes separat, quibus si non liber daretur exitus, flammula nostra vitalis brevi extingveretur. Si liquor aliquis indatur vitro, & in continuo calore digeratur, brevi rumpetur vitrum, nisi vaporibus egressuris liberum aërem addas; quod procul dubio in arteriis nostris quoq; accideret, quæ fervidiore sanguine repletæ dissilirent, nisi vaporibus abeundi copia daretur. Est itaque influxus aëris tenuioris ad expansionem, motumque pulmonum, & sic ventilationem sanguinis necessarius, ut nimium vapores excrementitii exire possint. Hinc si aër ingressurus non tenuis & clarus est, sed crassioribus vaporibus nimis refertus, adeo ut non possit exhalationes Massæ Sangvineæ recipere, necessum est, ut ejusmodi suffocatio, de quâ impræsentiarum agimus, sequatur: Is enim aër tantum ad ventilationem est aptus, qui purior, ut eo facilius vapores sanguinis recipere queat.

Th. 9. Ordo nunc jubet, ut recenseamus res istas, seu vapores, qui aërem incrassare & homini suffocationem inferre possunt, quales ab Autoribus hinc inde collectos, & propria observatione notatos invenimus.

B

Th. 10.

Th. 10. Ventilando calor i neptus & suffocans est  
aer, qui à vapore musti vel cerevisiae recentis fermentan-  
tis evadit densus & suffocatus, à quo etiam candela ac-  
censa in tali cella subito extinguitur, qualia exempla, tum  
illorum qui penitus extincti, tum eorum, qui periclitata-  
ti fuere in cellis Altenburgi, Numburgi, Geræ & alibi ante  
aliquot annos contigerunt. v. W. Höfer. H.M. L. 1. de cap.  
aff. c. 6. Joh. Andr. Schmitz. Med. Pr. p. 204. Plater. L. 1. obs.  
f. 16. Borell. C. 2. obs. 4. Zac. Lusit. de princip. Med. bist. L. 1.  
obs. 10. f. 10.

Th. 11. Fumus imprægnat aërem in domorum in-  
cendiis, & quamvis homines in loca subterranea descen-  
dant, ubi aer alioquin satis frigidus est, tamen in suffoca-  
tionem nonnullos incidisse experientia docuit: v. Borell.  
l. c. Zwing. Theatr. V. H. p. 510. à fumo fornacis v. Hildanus.  
C. 4. obs. 11. f. 22.

Th. 12. Ita etiam à fumo carbonum in cubiculo ar-  
ctè clauso assidentes stupore quodam improviso correpti  
& extincti fuere non pauci, qualia exempla Langius in  
epist. & alii recensent. v. Plater. l. c. Jacobin. in L. 9. Rbas.  
comm. 41. Amat. Lusit. C. 7. cur. 33. Panaroll. obs. Med. Pent.  
1. obs. 19. Schenck obs. L. 2. obs. 19. Carbones fossiles, vul-  
go Pech-oder Stein-Kohlen/ item effluvia cespitem bi-  
tuminosorum, des Turffs/ idem interdum periculum post  
se trahunt.

Th. 13. In metallifodinis, wenn die Bergleute bö-  
se Wetter antreffen/ crassi isti & Æi vapores in cunicu-  
lis vetustis à candelis incenduntur instar cujusdam mete-  
ori Æi, & ut fulmina grassantur, v. Matthes. Sarept. c. 12.  
f. 198. Istæ enim exhalationes metallicæ, Schwaden /  
operarios, nisi in liberum aërem mature se foras proripi-  
ant,

ant, cito jugulant. De quo veneno metallico, quid sit, unde oriatur, nemo plene scripsit. Jam citatus Matthaeus, & Libavius Vol. 1. rer. singul. tr. 1. de nat. metall. etiam ejus meminerunt, halitumque mineralē venenatissimum vocant, sed rationem non addunt. Quicquid sit, venenum penetrantissimum esse puto, quod cor & cerebrum brevi destruit: est volatile ob calorem partim subterraneum, partim etiam externum: Præterea in diversis fodinis diversimode reperitur, plerumque multis aliis venenatis materiis commixtum, qua de causa forsitan Scriptores metallici nihil certi determinare voluerunt: observationibus tamen adhibitis constat in Auri & Argentifodinis perniciosissimum reperi, cuius ingrediens principale est cadmia metallica seu cobaltum, quod omnes & cacoëthicos metallorum degenerantium illius mineræ attrahit, eoq; maturius homines perimit. In stanni, cupriq; fodinis non quidem adeo cobaltum abundat, sed potius de Arsenico, & pyrite &c. participat, v. Disput. Michaël. de morbis metallarior. Georg. Agricol. de re met. L. 6. p. m. 172. Horst. P. 2. obs. 28. sæpè ij vapore saltem afflati nervis paralyti relaxatis Aurifabri, metallorum fossores & Artis Chymicæ opifices velut siderati & attoniti concidunt. Hujus enim fumus copiosè attractus ob aciditatem hostilem laryngem statim præcludit & constringit. Fumus & is aërem quoque ita incrassat, ut inspiratus periculum suffocationis inducat. Nam mineralium horum Gas ex proprietate statim suffocat, quia & fœtidum narcoticumq; , quod Chemicis Gas sylvestre audit, & animales figit & sanguinis motum ac fermentationem inhibet, & sic obstructione principii nervorum influxum & uum animalium impedit. v. Marcell. Donat. L. 2. H. M. c. 6. Solenand. Conf. Med. 6. Sect. 5. Camerar. oper. subcif. C. 1. c. 27.

Th. 14. A flore calcis observavit Excell. D.D. Job. Ussleberus, Phys. & Pract. Altenb. Celeberr. Patronus meus ad cineres usq[ue] colendus, in arce noviter exstructa Nobilis alicujus nonnullas personas , noviter exstructæ turris incolas, numero quatuor statim sibi succedentes, alias bonaæ constitutionis & valetudinis , subito suffocatas & extinctas, v. etiam Tulp. obs. L.3. c. 41. In viis etiam aér suffocans potest fieri, si pulvis à vento impetuosis impellatur : v. Plater. obs. L.1. p. 185. & 172.

Th. 15. De puero , qui aquam fortem häuserat, ardore in gutture suffocato v. Forest. L.15. obs. 30. p. 160. De suffocatione à fungis venenatis v. Sanctorius meth. L.2. c. 4. A vermis fauces invadentibus v. Salmutb. obs. 40. C. 2. Talis etiam est aér, qui ex cloacis subterraneis diutius occlusis, cryptis, sentinis & puteis prodit, v. Panarol. Pent. I. obs. 19. Sennert. Pr. L.2. P.3. c.3. Hæchstetter. Dec. 3. obs. 8. Tacemus odores infestos , qui à rebus putrescentibus & fermentescentibus oriuntur. v. Orosius L.5. c.ii. Augustinus in L. 3. de civit. Dei c.31. Zacebias L.5. tit.2. qv. II. idem Tom. 3. conf. 19. & 44.

Th. 16. Differt suffocatio ratione gradus, tum vehe- mentiæ, tum durationis ; ratione causarum etiam differt alia ab alia ; Differt à cognatis suis affectibus , apoplexia, lethargo, epilepsia , sideratione à fulmine & sim.

Th. 17. Suffocationis periculum adesse patet , si æger in loco nebuloso, variis vaporibus & exhalationibus Ædis, crassis, aëremque tenuiorem repellentibus fœto versetur, & tussicula vexetur, difficulter spiret, maximamque anxietatem sentiat, unde etiam probabilius videtur , exhalationes ejusmodi suffocatione & non apoplexia enecare, siquidem tales ægri in principio angustias præcordiorum

rum suffocatorias sensibus adhuc integris persentiscunt.  
Præterea ægri in terram prolabuntur, pulsus fit vix per-  
ceptibilis, aut ad minimum intermittens; & nisi illis in  
tempore succurratur, sputa circa os apparet, & mors in  
insidiis, imò præ foribus est.

Th. 18. *Prognosin* quod attinet, sciendum, hunc affectum  
periculosum & sæpe lethalem esse; Si enim suffocationem  
dixeris, præsentissimam mortem dixeris: attamen pro va-  
rietae graduum non rarò curationem admittit. Minus pe-  
riculosus est, si æger alias optimè fuerit sanus, vires inte-  
gras habuerit, si nullū malum in hypochondriis, utero &c.  
hæserit, siq; florida sit ætate, nec catarrhis, asthmate vel aliis  
pulmonum vitiis laboreat. Sinistri verò ominis est, si cir-  
cumstantiæ hæ contrario modo se habeant. Huc pertinet  
*Hippocr. aphor. 12. L. 3.* Extremè malum signum, quo præ-  
sente rarò evadunt, & lethale est spuma circa os apparens,  
*v. Forest. in Schol. obs. 74. L. 10.* Hinc quoque *Tulpius L. t.*  
*obs. c. 51.* refert, quod in iis, qui suffocatione moriuntur  
aspera arteria reperiri soleat post mortem spumosa san-  
gvine repleta: spuma enim ista certum & infallibile si-  
gnum est sangvinis motus per pulmones impediti, ex quo  
sangvine in pulmonibus & tandem in ipso corde stagnan-  
te per reciprocationem validam, sed frustraneam elevatur  
spuma, quæ non nisi in ultimo ferè articulo apparere solet.  
De hoc quoque eleganter loquitur noster parens *Hippocra-*  
*tes S. 2. aphor. 34.* Periculum etiam variat ratione causa-  
rum. Ita majus periculum imminet, si vapores insuper  
venenati sunt & narcotici: nam mephitis, seu aura gravis  
& pestilens, quam terræ viscera ex se eructant, (Berg-  
wetter) tametsi statim, ut hausta est, metallicos  
non suffocet, neque protinus interimat, tamen fere sem-

per sui vestigium penitus imprimit, ac post se tum aliis in partibus corporis, tum verò atq; adeò imprimis in spirandi officina, pulmone scilicet relinquit, ut radicitus deinceps evelli nunquam vel raro possit, sed ad extremum usq; halatum adsit: interdum etiam peripneumoniam infert. Similiter si isti vapores vim corrosivam obtineant, & à mineralibus acribus orti sint, pulmones teneros corrodunt, & exulcerant, unde febris hectica aut phthisis subsequi solet.

Th. 19. Supremus labor restat, scilicet *Curatio*: Itaque æger statim in aërem liberum, sed puriorem & temperatiorem deportetur: nam justo frigidior ac calidior paroxysmum intendit: si nimis sit calidus, flabello temperatur; solvatur æger ab omni strictione circa gulam & pectus: os aperiatur & apertum servetur: palato & linguae affricetur. *tberiaca cum* ▽ *apoplect. permixta, it. tberiac. cum allio Mich. & simil.* Operarii in metallifodinis si hoc malo suffocatorio pene confecti ex cryptis extrahuntur, sub libero aëre facie naribusque in terram recens effossam demissis proni collocantur, & sic plerumque in vitam reducuntur.

Th. 20. V. S. in bracchio vel pedibus administrata locum habere potest, si morbi status nullam moram concedat: sangvis enim alias circa pulmones stagnans facile coagulatur, hinc paroxysmus gravior & diuturnior redditur, ast depletis sanguine venis liberior erit respiratio.

Th. 21. Sopitus Archeus commode etiam excitatur moderatis concussionibus corporis, frictionibus extremitorum fortioribus, etiam cum Θε & Ἰτο factis, ▽ *apopl. inpedibus imprimis*: nonnulli svadent *vellicationem pilorum in barba & pudendis*, quæ ramen cum modestia fiat. Excitatur Archeus clysteribus, fortioribus imprimis, & quos colocynthis ingreditur.

Th. 22.



Th. 22. Quando æger iterum ad se redire & moveri incipit, & medica-  
menta jam per os admitti possunt, *Emetica* convenient; sic enim primæ  
viae, quæ fuligines crassiores attraxerunt, ab hoc peregrino hospite libe-  
ravit, Archeusque sopitus exsuscitatur. *Sternutatoria* etiam utiliter com-  
mendantur ad hunc finem: v.g. ex rad. *belleb.* alb. *spec.* *diamajor.* *Diata-*  
*bac. Myns.*  $\Theta$  vol. *oleosi*, præcipue  $\Omega$ \* *ci urinosus*, qui instar omnium est,  
naribus applicentur. Os cluatur *Gagarismis*. *Castorina* maxime laudat  
*Exc. D. D.* *Usteberus*, quæ in suffocatione à vaporibus musti & cerevisiæ  
probatissima invenit. *Zedoarium* pollere facultate reprimendi vapores mi-  
nerales perhibent, & inde electuarii à *D. Pansa* & *Sennerto* descripti com-  
positionem ingredirur, quæ talis:  $\pi$ . *Allii*, *nuc. jugland.*  $\ddot{aa}$ , *Mſ. contund.*  
 $\mathfrak{G}$  super  $\Delta$  cum melle despumato *M.* Addantur theriac. opt. drachm. *ij.*  
*Zedoar. caryophyll.* mac.  $\ddot{aa}$ . drachm. *j.* *M.F. Electuar.* de quo manū &  
vesperi portio avellanæ magnitudine assumenda.

Th. 23. Deinde Spiritus eorumque motus restaurandus, ut vigore suo  
polleant, nervosque iterum irradiare possint. Roborant imprimis *balsami-*  
*ca*  $\Theta$  *e volat. oleoso prædita*, qualia sunt: *Elix. cephal.* *D. D. Wedel.* *am-*  
*bra ejusq; eß. Tinct. lunæ*, confect. *Alkerm.* *pulveres antapoplect.*  $\Theta$  vol.  
*oleosum Sylvii* vel ad modum *D. D. Schelhammeri* paratum, confect. de  
*hyacynth. spec. diambr. diamosch. d. elix. vitæ Matthiol.* *vinum Malvat.*  $\mathfrak{G}$   
*similiæ.* Restaurant Spiritus externa, præter jam dicta cucuphæ, fomenta, sac-  
culi ex plantis *cephal. aromat.* *svaveolentibus* parati ac gestati;  $\nabla$  odo-  
riferæ, imprimis *balsama naribus, pulsibus, temporibus scrobiculog; cordis*  
*inuncta.*

Th. 24. Circa *Diatam* notetur, quod noceat aër præter modum cali-  
dus, item intense frigidus, ut & omnis fumosus, & qui in hypocaustis Ger-  
manicis, maximè iis, quæ à plurimis frequentantur, vel in quibus compo-  
tationes celebrantur, conclusus non perflat, continetur, v. *Solenand. S. i.*  
*conf. Med. 10.* Frigidus aër non solum cerebro, spinali medullæ, nervoso  
generi, & ossibus inimicus est, sed etiam pectori incommodus: quomodo  
repellendo noceat, ostendi in *disput.* de *crusta lactea sub Presidio* *Exc. D.*  
*D. Jac. Wolff Jene habita.* Conducit autem aër clarus, ab omni miasma-  
te liber ac immunis. Ingeniosa sunt Recentiorum artificia, quibus aërem ju-  
sto tenuiorem aut densiorem in conditionem cuilibet idoneam mutari pos-  
se afferunt, quod si efficiunt, non potest non ad humanam sanitatem insi-  
gniter conducere. *Vittus sit tenuis*, v. g. *multa, succus ptisanæ, pulli co-*  
*eti c. spinacia, beta, vel faccharo, croco, passulis & pauro*  $\ddagger$  *to.* *Potus*  
*sit vinum bonæ notæ, cerevisia probè defecata, non nimis frigida, & non,*

nisi

nisi æger paululum ad se redierit, bibendiq; desiderium adfuerit, propria-  
nanda. Somno non nimium indulget: Supinus vitetur decubitus: Mo-  
eus corporis moderatus concedatur.

Th. 25. APPENDICIS loco verbo tangemus suffocatos Aqua & La-  
queo. Si æger in aqua est suffocatus, tunc illius caput in terram ponan-  
tur, ut pedes superiorem locum occupent, quo assumta iterum emana-  
nare possit: quo facto æger ad se reversus gargarismo, analepticis & con-  
fortantibus calidioribus, ut & sudorifero uti potest. v. Forest. L. 45. obs.  
26. Haly Abbas P. 2. l. 6. c. 4. Barthol. hist. Anat. rar. C. 6. hist. 68.  
Gruling. obs. 10. C. 2.

Th. 26. Si æger strangulatus laqueo adhuc caleat, & pulsus, quam-  
vis debilis, adhuc percipiatur, tunc laqueo remoto sine mora vena secetur,  
æger in balneum calidum ponatur, ut circulatio sanguinis iterum pro-  
moveatur, quam ob causam omnia membra, imprimis spina dorsi linteis  
calidioribus fricentur, ori infundatur  $\text{X}$  cum piperis & semi. urticæ mo-  
mento infusum. Maximè etiam conductit, ( quod in canibus aliquoties  
probatum ) si aspera arteria l. a. dissecetur, & pulmones mediante folle  
vel siphone inflentur, testaturque experientia, respirationem & vitam  
sic redisse. v. Haly Abbas l. c. Wepffer. de apopl. p. 181. 190. Diomed. Cor-  
ner. H. M. hist. 1. 2. Schenck. L. 2. obs. 17. Sed calamum de charta, in  
qua si quid erratum, vel ea, qua par est, perspicuitate non explicatum sit,  
L. B. humanæ fragilitati ad lapsus pronæ & brevitati temporis adscribat,  
siquidem jam mihi non licuit prolixius de hac curiosa materia agere, quod  
tamen fortè bono cum DEO alio fiet tempore.

Interim Laus, Honor atque Gloria sit Tibi, sanctissima Trinitas, pro  
benignissimo auxilio Tuo, quod tot annos in Studiis meis & hac etiam vice  
expertus sum: Supplicibus Te veneror votis, velis pro incenarrabili Tua cle-  
mentia Patronos, Promotores, Præceptores & Benefactores, quorum ope à  
teneris ungivculis hucusque me provexisti, Arctem Medicam docuisti, & ad  
Honores summos in illa legitimè acquirendos adduxisti, tueri, eorumque  
beneficia cœlitus illis benedicendo remunerari, eosque diutissimè servare  
incolumes, donec emeritis vitæ stipendiis tandem seri in cœlum redeant:  
O Archiater Archiatrorum, digneris mihi porrò Divina Tua assistere gra-  
tia, nam propinquum esse Tibi, mihi bonum est: Spiritum Sanctum ne  
auferas à me, sed clementissimè largire, ut Ars servandorum hominum, cui  
Tuo suffultus auxilio me totum hactenus mancipavi, cum secura Praxi  
Medica cedat in æternam Divini Nominis Tu gloriam, Patriæ sva-  
vissimæ, & grorumque plurimorum commodum &  
emolumentum. Fiat!

TANTUM!

01 A 6605


ULB Halle  
003 092 054

3




K3 17





# FarbKarte #13



IRALIS MEDICA,  
GULA-  
NE  
EXTERNIS,  
MPLISSIMÆ FACUL-  
CÆ  
ELECTORALI UNIVER-  
NA,  
IDIO  
HI CHRI-  
PETRI  
fels/  
omitis, Archiatri Ele-  
Physici Erfurtensis,  
P. P.L.C. &c.  
diorum suorum maxime  
ioni submittit  
A M,  
nmos in Arte Medica,,  
imperaturus  
IUS, Altenb. Misn.  
MAJORIS,  
Virginis partum 1693.  
is.  
Typographi Academicci.

Geff St  
32  
32